



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 9. Comitia Francofordiensa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

confirmantes statuta, atque decreta hanc Sæcul. XV. A.C. 1442.
 in rem in præcedentibus sessionibus sanc-
 cita; Præterea in eos, qui Synodi mem-
 bra vexaverint, vel eorum beneficia oc-
 cupaverint, aut detinuerint, præter ex-
 communicationem, & beneficiorum vel
 dignitatum privationem etiam pecunia-
 riam multam decem marcarum auri sta-
 tuerunt, hoc verborum tenore: *Si vero*
universitas, aut capitulum, aut aliud Col-
legium, seu communitas similia attentave-
rit, triginta marcarum pro una Camera A-
postolicæ, ac pro alia parti læsæ, & pro
tertia æqualibus partibus Domino civitatis
vel loci, in quo tale beneficium extiterit, ap-
plicandarum pœnas incurrat. Tandem e-
tiam Collatores beneficiorum iisdem pœ-
nis obnoxios fore pronuntiarunt, si infra
duorum mensum, & duodecim dierum spa-
tium, postquam pro parte illorum, quorum
interest, requisiti, partes læsas in eum statum,
in quo ante occupationem suorum beneficio-
rum fuerant, reponere, & integrare ne-
glexerint.

§. IX.

Comitia Francofordiensa.

Sub idem tempus Fridericus comitia Acta Patric. Imperii Francofordiæ celebranda in- to. 13. Conc. dixit, in quibus de mediis duas illas, in p. 1600.
 quas Ecclesia scindebatur, factiones con-
 ciliandi

Sæcul. XV. ciliandi ageretur, quam ob caussam quos-
 A C 1442. dam Episcopos, aliosque Viros dignitate
 conspicuos nominabat, qui tam Eugenii
 Papæ, quam Basileensium Oratores ex-
 ciperent. Synodi Patres in omnibus
 urbis Ecclesiis preces decreverant, qui-
 bus optatus rei exitus a Deo obtineretur.
 Felix quoque præcepit, ne durante hoc
 conventu Basileenses cujuscunque rei ne-
 gotium pertractarent; verebatur enim,
 ne quicquam statueretur, quo acrius Prin-
 cipum indignatio in eos accenderetur.

§. X.

Francofordiensium comitiorum initia.

Die vigesima septima Maji Basileen-
 sium Oratores Francofordiam delati,
 a Magistratibus urbis humaniter quidem
 excepti sunt, neutiquam tamen eis con-
 cessum, ut se Apostolicæ Sedis Legatos
 nominarent, aut hujus prærogativæ in-
 signia deferrent. Eodem die Imperator
 urbem suo quoque adventu honorabat,
 comitantibus eum S. R. I. Electoribus,
 Moguntino, Coloniensi, & Trevirensi, Co-
 mite Palatino, Saxoniae Duce, pluribus-
 que aliis Principibus. Prohibuit Fride-
 ricus, ne sibi Basileensium Oratores ho-
 noris gratia obviam procederent, aliquot
 tamen post ejus adventum diebus, illis
 ad alloquium admiffis, literas tam Syno-
 di